



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Cur benedicantur Campanae. 14

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

vinum habuit; quemadmodum Exod. 31, & 2 Paralip. 22, legimus. Vngitur præterea secundum Ecclesiasticam consuetudinem, quum consecratur, Altare; quum dedicatur, templum; quum benedicitur, calix; idque non solum ex mandato veteris legis, verum etiam exemplo beati Sylvestri, qui, quum consecrabat Altare, illud Chrsinate perungebat. Verum Vnctionis Sacramentum, aliud quidem efficit & figurat, tam in novo quam in veteri Testamento. Vnde non Iudaizat Ecclesia, quum Vnctionis celebrat Sacramentum, sicut aliqui mentiuntur, qui neque Scripturas neque Dei novere virtutem.

c. 1. & f. de sac. m.

CAP. XIII. *Populus docendus, quid agatur & significetur in consecratione templorum & altarium.*

Quamobrem populus docendus est, hic aliud agi, atque aliud significari, quum consecratur templum. Funduntur preces Domino, ut hunc locum sibi peculiariter dedicatum esse velit, ut diabolus & ejus potestatem inde penitus expellat, ut omnes, qui huc deprecaturi conveniunt, ex quacunque tribulatione consolationis Divinæ beneficia consequantur, ut ab omnibus, pariter convenientibus, Deo laudes solvantur, Divinum verbum audiatur, ac Ecclesiastica Sacramenta ministrantur. Peculiariter Altare consecratur, ut illic oblatio munda Deo offeratur, hoc est, Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, quod in memoriam Passionis Dominicæ immolamus. Quod vero, præter preces, ad dispersionem etiam atque unctionis aliarumque rerum solemnia adhibentur, mysterii secretioris plenum est: non quod inanimata ista gratiæ Divinæ susceptiva sint; sed, quum hæc visibiliter fiunt, admonetur Christianus, Deum omnia hæc per invisibilem virtutem in anima operari, quæ est domus Deo dedicanda, ubi fides fundamentum facit, spes erigit, & charitas consummat. Signat ergo templi dedicatio, tam fidelis animæ, quam Ecclesiæ, cum Christo desponsationem. Ipsa enim Ecclesia Catholica, ex multis vivis lapidibus adunata, verum Dei templum est. Quod si Dei templum sumus, altare intus habemus. Altare quidem nostrum, cor nostrum est. In hoc Altari fit sacrificium laudis. Sacrificium enim Deo, spiritus contribulatus & cor contritum. In hoc Altari fit commemoratio Corporis & Sanguinis Christi: hinc preces ad cælum ascendunt: ad cor enim respicit Deus. Quamobrem, nisi omnia, quæ in hujuscemodi consecratione exterius aguntur, in nobis spiritaliter impleantur, parum hinc fructus nobis accesserit. Quid enim exterior ablutio vel inunctio sine interiori prodest?

2 Reg. 6.

1 Cor. 3. 6.

Psal. 50.

CAP. XIV. *Cur benedicantur Campanæ.*

Benedicuntur quoque Campanæ, ut sint tubæ Ecclesiæ militantis, quibus vocetur populus ad conveniendum in templum, & audiendum verbum Dei; Clerus verò ad annunciandum mane misericordiam Dei & veritatem ejus per noctem, ut per illarum sonitum fideles invitentur ad preces, & ut crescat in his devotio fidei. quamvis etiam Patres aliò respexerint, videlicet ut dæmones tinnitu campanarum, Christianos ad preces concitantium, terreatur, quin potius precibus ipsi, terri, abscendant, illisque submotis, fruges, mentes & corpora credentium ferventur; ut procul pellantur hostiles exercitus & omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procellæ turbinum, impetus tempestatum & fulgurum temperentur, infesta tonitrua & ventorum flamina suspendantur, spiritus procellarum & aëreæ potestates prosternantur; breviter, ut, audientes, confugiant ad sanctæ Matris Ecclesiæ gremium, ac ante sanctæ Crucis vexillum, cui flebitur omne genu; quemadmodum hæc in solemnibus benedictione Campanæ reperies.

Philip. 2.

CAP. XV. *Docendus populus, ut signatis potius, quam signis, inhæreat.*

Docendus est ergo populus ab exterius istis, ut signatis potius quam signis inhæreat ac intendat. Quod & in omnibus aliis obtinet cæremoniis; alioqui parum ad pietatem profuturus. Nam, qui in exterioribus istis consistit, ac non potius illis admoneatur ut ad Deum respiciat, confugiat, ac totam suam fiduciam in illum collocet; huic citius externa ista in subversionem, quam ædificationem, erunt.

CAP. XVI. *Quicquid in cæremoniis ad abusum spectat, caute ac diligenter vitandum.*

Quamobrem, quicquid in ejuscemodi rebus ad abusum & superstitionem spectat, & quo populus à Deo ad collocandum in externis istis aliquam fiduciam abduci possit, prohibemus. Quale inter alia est, quod Sanctorum imagines cum indulgentiis & impositione incertarum reliquiarum dedicantur; quod quidam aqua, sale, cereis, ac herbis benedictis, in medicandis pecoribus, superstitionis abutuntur. Omnis quidem creatura per verbum Dei & orationem sanctificatur; quemadmodum divus Paulus testatur. Ergo, quanto res sacrator, tanto abusus ejus damnableior.

c. Placuit de cons. dist. 1.

1 Tim. 4.

CAP.